



XI, 54.~

4. 378-





10.

EXTREMA FATA  
D<sup>ni</sup> KRUMBHOLZII,  
SAXO-MISNICI,  
IN PATHMO  
SVB IPSVM EX HOC LYCEO  
AD STVDIA ALTIORA ACADEMICA  
DISCESSVM  
VIRI IUVENIS  
PER-EXIMI, NOBILISSIMI, LITERA-  
TISSIMIQVE,  
JOHANNIS GODOFREDI  
SCHMIDELII,  
ZOEBLICIO-MISNICI  
AD  
ACTUM VALEDICTORIUM  
DIE V. NOVEMBRIS ANNI M DCC XXXIII. PUBLICE  
HABENDVM,  
PRÆFAMINIS LOCO PRÆMISIT,  
ET AD HUNC CELEBRANDUM  
INSPECTORES SCHOLÆ  
SUMME AC PLURIMUM REVERENDOS CONSULTISSIMOS,  
EXPERIENTISSIMUM, AMPLISSIMOS, DOCTISSI-  
MOSQVE,  
PATRONOS, EVERGETAS, STUDI-  
ORUMQVE PROMOTORES,  
ALIOSQVE LITERARUM CULTORES  
EA, QUÆ DECET HUMANITATE INVITAT  
M. CHRISTIANUS CLODIUS, Rector.

---

ANNÆBERGÆ,  
TYPIS AVGVSTI VALENTINI FRISII,



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a formal document or letter.







**H**amelia Saxonum ad Visurgim efficto quondam liberorum exitu, jam extremo Krumbholzi fato notabilis, etiamnum aurem vellicat, ut, quæ de Viri per orbem eruditum celeberrimi captivitate & morte vidissem memoratu digna, cum Viris historicarum cupidis communicarem. Accedit ista fides mea, quam proximo præfamine, cum Hennigius olim meus, jam civis Academicus, discederet, Lectori Benevolo obstrinxi, quæ jam liberanda est, & ipsius argumenti vel raritas, vel dignitas. Quem enim illi ferunt diabolicum, hic divinum expertus est, ex terris Hamelienfibus exitum. Ex eo nimirum tempore, quo infelici Avunculo ultimum vale dixi, (dixi autem anno post millesimum, septingentesimum, vigesimo tertio) eadem sortis adversitate pressus, jamque diurnæ lucis atque ipsius aeris incapax, rerumque terrestrium pertæsus, ad beatam ex his ærumnis adspiravit analysin. Ne tamen in semet ipsum injuriosus haberi possit, rebus, quibuscunque potuit, vitæ suæ prospexit, admotisque salutaribus herbis, juxta præscriptum Medici, in Cattis celeberrimi, occurfavit morbo, pathematibus animi, & quæ alia infestant valetudinem, longe proscriptis. Et hoc usus vitæ moderamine, omnes illas adversitates corporis, quibus succubuerunt alii, per plurimum annorum inercapidinem, averruncavit. Quæris L. B. quo pacto captivus moræ tædia pepulerit? Eodem, quo divus olim Johannes in Pathmo, precando, meditando, sciibendo. Ipso enim in otio semper laboriosus fuit noster. Noctu etiam rara quies. Nunquam ante duodecimam requisivit plumas. Sæpe iterum surrexit è lectulo, vel cantu noctuæ, quem averfatus est, expergefactus, vel strepitu turbatus. Et jam ante gallicinium sedit ad lampadem. Somnia quoque vehementer conquestus est. Libros, quos lege-



ret, præter sacri eodici oraculum, Plutarchi opera, & relationes, ut vocant, publicas, habuit nullos, nisi quos ipsi ministrarent Senatorum civitatis principes, nec quo scriberet, atramentum, nec congerronem, cum quo sociaret verba, nec ambulandi spatium. Sed mireris, legendo, scribendo, loquendo, ambulandoque fefellisse dies, menses, annos. Ambulavit scilicet in eodem asfere pavimenti, eadem vestigia jugiter repetens. Neque enim captivo per angustias conclavis aliorum deflectere licuit. Scripsit liquore e carbonibus & fabis Coffee cocto, penna e stibro culinari eruto. Scalpelli enim & cultri domestici liberam potestatem habuit. Legit atque relegit MSC. nudius tertius aut quartus a semet ipso consignata, charta enim, ad certam mensuram, ipsi data est copia. Locutus est solus cum solo. Peroravit interdum forti spiritu, quandoque disputavit, tanquam præfente adversario, mox remisius, mox acrius, & quasi obtenta victoria. Rare cecinit, nisi populo templi militaris contiguo Symphonus. Preces tamen illius interdum a prætereuntibus longæ ardentesque exceptæ sunt. A libertate exeundi, quæ nullo non tempore indulta fuit nostro, per octo annos ultro abstinuit, aeris, & populi male sane curiosi, prorsus impatiens. Nec acridulis Pyramontanis, more ipsi alias consveto, intra tot annorum spatium, usus est. In locum cerevisiæ, quam turbidam ut plurimum, & feculentam acceperat, vinum, & per alternas, decocta varii generis substituit. Non cuiquam temere concessit aditum, nec cognato quidem, nisi, quis esset, & quid vellet, per famulum prænucciasset. Accedentibus parum, sed modeste respondit; interdum quoque asperius, pro statu valetudinis & conditione causæ, quam quisque proposuit. Tandem ab omni hominum consortio penitus abhorruit, unius Joachimi, veterani militis, qui ipsi a manu fuit, consvitudine contentus. Ceterum a militibus, etiam gregariis, magni fuit habitus. Fuerunt, qui illius videndi cupiditate flagrantes, commilitonum vices egerunt. Alii inter vigilas illachrymabantur carceri, tacti miseratione afflictissimi Theologi, certi quoque, si fugam capessisset, & indivulsi comites futuri. Nec desuerunt contra, qui afflictio majorem adderent afflictionem. Quorundam plebejis ineptiis immane quantum! lacesitus est. Alii male feriati Sclopetis pavimento, sub quo excubias agebant, infestis, nocturnam turbavere quietem. Quorum cum per fenestellam exprobrat lasciviam, pœnitendo ludibrio expositus est. Aliquando a Decurione, quem propter repetitas cavillationes liberius objurgaverat, vehementer lacesitus est. Famulus Joachimus, qui jussu Severini Consulis, novum annum captivo gratulatus est, Præfecto arcis proditus, custodiæ pœnam tulit. Ab eodem Severino, literatissimo homine librum quempiam legendum acceperat, in quo forte



forte conspicillum illius vitreum reperit, quod, ubi per famulum remisit Domino, hujus etiam rei causa male habitus est Joachimus. Major vero Civium & ipsius Senatus eluxit pietas. Horologio carceri superimposito per ipsos captivitatis annos feræ indictæ sunt, propter strepitum perpendiculi, quem ferre non potuit. Cæterum non æquali ubique animo tulit captivitatis jugum. Quandoque vehementer invehens est in adversarios, injurias, quas perpessus esset, summas longa serie repetens: mox Stephani secutus institutum, pro iisdem apud Deum intercessit. Ad rumorem, qui etiam verus fuit, Feindium illum, famosi carminis autorem, & execrabile flagellum cordati Theologi, per scalas præcipientem, cervicem fregisse Hamburgi: alto pectore ingemiscens, utinam, inquit, superstes, vitæ rationem redderet Rei publicæ! Nunquam carceris, sed otii pœnam conquestus est. Jacturam opum, officii & ipsius libertatis nullam esse, præ illo immani dispendio Bibliothecæ, tanquam thesauri animi & curarum medelæ. Relegarint, inquit, ad carceres, ad Garmantas & Indos! modo Bibliotheca comite, quæ etiam Grotio hæresios reo indulta fuisset. Intercedente vero tempore ipsius Christi Servatoris exemplo erectus, mundana omnia, quid ni? librorum delicias aspernatus est, contentus eo, quod cum Paulo Apostolo lucraretur Christum. Interdum etiam sales admiscuit seriis. Ex actis literarum publicis mortem ipsius denunciatam intelligens, jam pisces esurus, quos in deliciis habuit, quæsit ex adstantium aliquo: nunquid in vita sua hominem mortuum vidisset pisces edere? qui, ubi negavit, adjecit: hic vides hominis prodigium, & legendam tradidit schedulam. Quandoque, sed hybernis duntaxat temporibus, quopiam quasi entusiasmo correptus, quadrata rotundis miscere instituit. Finxit aliquando aulam Cæsaream, appellavit ad summum Imperatorem, dicam scripsit adversariis, citavit, judicavit, danuavit, absolvit. Mox ad se rediens, ingemuit, Deum ardentem orans, ut mentem sanam in corpore sano servare pergeret. Eduliis sub finem vitæ paulo lautioribus recreatus est, Tria fercula fecere prandium, cœna fuit frugalis & parabilis. Lipsana, quæ famulo dare vetitus est, in frustra secuit, & per fenestram objecit canibus & gallinis devoranda, temporis forte fallendi aut animi remittendi gratia. Potum Coffeæ bis coxit quotidie, prunis & carbonibus a famulo largiter ministratis. Pulvere sternutatorio frequenter usus est, ab herba Nicotiana, qua alias svasu Medici, modica gavissus est, prorsus abstinuit. Neque rei Musicæ fuit deditus, aut ulli arti mechanicæ. Interdiu solis ortum & occasum, meteora, ventos & tempestates quam diligentissime observavit. Extant illius Meteoroscopix, sed nulli legenti perviæ. Altris noctu intentus fuit, etsi omni Astronomi subsidio destitutus,



tuus, & a cœli facie remotus. Quandoque ipsi traditæ sunt amicorum, quos necessitudo domestica compulerat, epistolæ, quas bis vel ter lectas decussatim concerpfit, & dissipavit. Respondit etiam, calamo & atramento singulari beneficio concessis, responsoriæ tamen plerumque vel interceptæ, vel oblitteratæ sunt. Summus Dux belli a Klinckenström, arcis t. t. Præfectus, a captivo rogatus, ad concinnandam defensionem causæ suæ indulfit chartam & calamum, simulans: Se Regi Magnæ Britannæ exhibiturum. His adjutus mediis, implevit undeviginti folia, trium partium tractatum, primum, qui litis exordia, alterum, qui litem ipsam, tertium, qui res post litem exponeret. Miratus est ille Viri summum judicium, mirum causæ ordinem, argumentorumque rara pondera, ex quibus hoc primarium: quod a nullo Judice fuisset auditus, nisi ab eo, qui dicam scripisset. Cætera quoque non contemnendi commatis: quod nocturno impetu e domo protraxissent, cui fugam capeffere in proclivi fuisset. Quod per totius anni decursum caruisset causæ Patrono, quem postea concessum prælecta prima defensione in carcerem coniecissent, atque dein alium e medio suo surrogasse, cum e Saxonia alium magis fidum & cordatum præstolatus sit; quod solum cum solo loqui vetuissent, admoto jugiter verborum aucupe, & quæ sexaginta alia majoris momenti. Sed veritus ille, ne bilem moveret malevolis, concerpfit, & igni mandavit. Atque sic afflictissimus magno conatu perfecit nihil. Varias interim Diatribes Polemico-Exegeticas; Physico-morales affabre composuit, & cum præfamine semestri ante obitum tempore commendavit Bibliopolis. Est in manu nostra magna chartarum vis, ex ipsis custodiæ repagulis collecta, rebus luce publica dignissimis perquam referta, quæ, cum per negotia licuerit, prelo *sub*ijcere constituimus. Decennio, antequam extinctus est, laborare cœpit pleuritide: accessit vertigo capitis cum asthma convulsivo, æstu atque frigore vices agentibus. Accersivit Medicum & Chirurghum, qui venæ incisione occurrerent morbo. Sed irritis, opinor, successibus, malo indies magis magisque accrescente. Rebus sic labentibus in habitum morituri sese composuit, rebus tamen, quibuscunque posset animulæ prospiciens, arti que Medicæ gnaviter inserviens, non mortem, sed justum justæ causæ vindicem expectavit. Aliud ipsi conclave oblatum est, pellucidius, purius, laxius, sed recusavit, ob supra memoratas causas. Adventavit pastor Hameliensis primarius, cui, cum de extremis multa diiſeruiſſet, quid, inquit, opus est verbis? tu si hic sis, aliter sentias; morior exemplo per orbem Evangelicum inaudito. Appello ad Deum, Summum Judicem, cujus dicasterium jam subibo. Excidi in his terris causa mea, per injuriam temporis; sed salute meâ non excidam. Sacro Sanctam Synaxin, qua alias, Christianorum more, etiam



etiam in carcere usus est, hoc tempore non desideravit. Percontanti confessionario: numquid jam aeterna meditari vellet? dudum, inquit, aeterna meditatus sum, ad aeternos nimirum carceres damnatus, libertate, bonis omnibus exutus; nec longa illi ad Deum via patet, qui mundanis ereptus, solo cum Deo, ambulavit. Neque enim proximiorum quemquam habui in hac solitudine praeter Deum, cum quo scripsi, cum quo locutus sum, quem carceris socium habui, qui in angustiis solatum, in tristibus gaudium extitit. In hac palaestra me exercui, & jam ad illius Pauli, cujus certamen certavi, cujus fidem servavi, coronam adspiro. O ingrati vitae focii! Ipsae & fortuna valete. Quae cum intellexisset Reverendus Pastor ultima peracta benedictione discessit. Successit Medicus, cum quo, post historiam morbi varia e divo Jobo & Psalmis Davidicis ad statum praesentem opportune repetiit, demta omni linguae amarulentia & rancore animi. Chirurgum tamen huic colloquio interesse vetuit. Famulus autem non discessit a latere, rebus, quibuscumque posset, opitulatus aegroti. Quem cum ex signis vultus instantis obitus commonefecisset, veniat, ait, Jesus Redemptor meus, ad discessum ex his terris paratus sum. Jam de lecto surgere, pedes tentare, gressum moliri; sed fluctuare, labascere, corruere. In lectulum aegre reductus identidem ingemuit: Accedat Redemptor meus Jesus, Tandem oculos claudere, altum dormire, rivos ducere, mox anhelare, palmas jactare, plumas vellicare, caput motitare, torpescere. Jam absterfo sudore, quo frigido maderat, in extremis defixus, denuo suspiravit ad Deum, & Jesum Christum salutis originem, cujus manibus commandavit animulam, & paulatim requievit. Famulo interea suo preclara voce recitanti, pulchrae, inquit, sunt preces tuae, Joachime, sed desine, Deum praecordiis inclusum teneo. Quibus dictis ubi antea ponum igne tostum comedisset, manus complicit, & inter verba morientis Christi: Spiritum meum commendo manibus tuis, caelestis Pater! placida analysi restituit hora scilicet duodecima prima nocturna ipsis Calendis Decembris anno Aerae Christianae millesimo septingentesimo vigesimo primo, aetatis sexagesimo tertio climacterico, captivitatis decimo octavo. Quae de sepultura memoratu digna sunt, futuro tempore, Deo volente, persequemur, neque enim isthaec pagella comprehendet singula. Id potius nunc agendum, ut Virum-Juvenem Pereximum Nobilissimum, Literatissimumque Johannem Godofredum Sahmidelium, Zœblizio-Misnicum, felicibus, ut ajunt, avibus ad altiora illius Gargeti peristylia bene praeparatum, Deo duce, comite fortuna, dimittamus. Quod de bono cive & omni virtutum laude cumulatissimo Tito Pomponio Attico commemoravit Nepos quod cum matre

*quisito*

tre



tre sua nunquam redierit in gratiam, illud, siquidem de quoquam alio, de hoc nostro, jure quodam meo prædicare possum. Ex eo enim tempore cum studiorum causa in castra Musarum nostrarum concessit, nihil prius habuit & antiquius, quam ut Deum rite coleret, Præceptoribus jugiter obtemperaret, studiis summa industria invigilaret, neminem læderet, suum cuique tribueret. Atque in his exercitatus cancellis cuius bono se commendavit, linguis, artibus & scientiis, quas Academia expectat, satis excultus atque formatus, cetera; quæ desiderat studiorum fabrica facile persequetur. Commendamus tibi, Lector benevole, hominem apprimè politum, verecundum, modestum, industrium, & ad literarum studia quasi natum. Huic si bene feceris, hujus conamina si promoveris, facies rem, auditu mihi jucundam, honesto vero dignam, Reipublicæ proficuum. Prosequuntur abiturientem votivis plausibus, Johannes Daniel Heydus Zottovvizio-Misnicus, Juvenis egregiæ indolis, atque industriæ, oratione germanica prosaica & ligata. Johannes Georgius Knœdelius, Tzopavia-Misnicus, pari industriæ atque modestiæ laude conspicuus, oratione latina soluta, & Johannes Christophorus Escherus Arnfeldio-Misnicus, Juvenis non minori virtutum laude commendabili oratione germanica soluta. Quorum ut suspiria summus rerum arbiter prospero rerum successu beet, unice uniceque vovemus. Vos autem Lycei nostri, summe Reverende Ephore, Consultissimi, Experientissime, Amplissimi que Inspectores, Patroni, studiorum que Promotores omni, qua fieri potest, animi modestiæ rogatos volo, ut facestis, quæ vos domi circumstant atque opprimunt, negotiis, huic actui, stato die locoque interesse, eundemque honorifica præsentia vestra illustriorem reddere velitis, est, quod etiam atque etiam rogo & obtestor.





Zc 2503.

ULB Halle

3

004 709 063



KOP

VD 77


M.C.











10  
EXTREMA FATA  
D<sup>ct.</sup> KRUMBHOLZII,  
SAXO-MISNICI,  
IN PATHMO

SVB IPSVM EX HOC LYCEO  
AD STVDIA ALTIORA ACADEMICA  
DISCESSVM

VIRI IUVENIS  
PER-EXIMI, NOBILISSIMI, LITERA-  
TISSIMIQVE,  
JOHANNIS GODOFREDI  
SCHMIDELII,  
ZOEBLICIO-MISNICI

AD  
ACTVM VALEDICTORIUM  
DIE V. NOVEMBRIS ANNI M DCC XXXIII. PUBLICE  
HABENDVM,  
PRÆFAMINIS LOCO PRÆMISIT,  
ET AD HUNC CELEBRANDVM

INSPECTORES SCHOLÆ  
SUMME AC PLURIMUM REVERENDOS CONSULTISSIMOS,  
EXPERIENTISSIMUM, AMPLISSIMOS, DOCTISSI-  
MOSQVE,

PATRONOS, EVERGETAS, STUDI-  
ORUMQVE PROMOTORES,  
ALIOSQVE LITERARVM CULTORES  
EA, QVÆ DECET HUMANITATE INVITAT  
M. CHRISTIANUS CLODIUS, Rector.

ANNÆBERGÆ,

TIPIBVS AVGVSTI VALENTINI FRISII,